mihi debere et Uxori tep μυριοτόκῳ, quae compendio, marem tertium ante biduum enixa est. Iterum vide quocum tibi negotium sit Asello, seu bipede, seu quadrupede, seu marino στεϱμολόγῳ utique, et nihil minus, quam silentiario, quasi non satis prodigii nunc, ut olim sit, Asinos loqui, nisi et garruli fiant. Etenim, ole quid ad te trium liberorum jus adepti aulici, nec ne simus. At cum Asello inquam altero luctare, et ne ultra dubites. Ecquid Genethliaci Barlaee panges in triumviratu meo? Si negas patior, si facis, et vales, bene est, ego quidem valeo. Hag: Com: 17. Cal: Aprilis CIƆIƆCXXXI.

I. Cabeliavio.

(132).

Redit ad Te Epistola, quam posci nobilissimi scriptorum Puteani sequiore comitatu quam profecta fuerat, unius meae pro tot tuis de nota meliore, et ad incudem elaboratis. Insignis viri negotium pridem sic a me curatum est, ut confessionem extorserim animi erga se, ut meretur, affecti. Eandem faxo in me experiaris, Cabeliavi ornatissime, sicubi tentandi occasionem ceperis, quam non inuita voluntatis, aut ingenii ficta propensione devinciar literarum et sapientiae, et illarum ob hanc unam, seriis cultoribus. Vale Hagae Comitis Postridie Id: Aprilis 1631.

Heinsio.
Raptim hora qua- drante in aula.

(133).

Ab Historiae tuae perlectione recens, sumptis impetu tabellis, aio Vir Nobilissime, quam grandis animi atque judicii, tam non dubiae perennitatis scriptum esse ea parte praecipue quâ tuus emicas, et quae ab aliis gesta refers exemplo bono vel sequiore, laudis acumine vel censurae, ex merito singula graviter aut urbane prosequeris. ubique tui similis, in plerisque ~~maxime~~ maior, gnomarum et axiomatum, quas vocamus, Politicorum, Ethicorum, militarium ornamento ad stuporem efficax et illustris. Ergo jam obliviscendi artes quam Themistocles optabat, accita neque indignitatum iniquissime nuper obviam datarum ultra memor, quam qui de autorum purpurata stolititate cogitando, etiam indignabundus te oblectes, de cordati cujusque aut eruditi judicio securus esto. Audebant hodie profiteri mecum candidissimi mortalium, quae livor alios aut inscitia, aut pavilli passim comes, cedere posteritati cogit, et in saecula differre, quibus non erunt; qui vel isto, nec mer sint, quam parvi ad Rempublicam intersit, tua, nec propterea minore mea, molestia didicisti. Pauca haec a lectione tui, ut dicebam